



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 29. Legatus a Ferdinando in Cæsarem electo ad Papam decretus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

illius favorem sese Imperio abdicaverat, nondum ut Cæsar agnoscebatur. Itaque Arausiacæ Princeps, Seldus, & Hallerus Caroli V. Oratores præstituta die secum deferentes cessionis diploma ad hæc comitia venerunt, atque una omnes circa illud per plures dies deliberarunt, tandemque communi omnium consensu hanc abdicationem ratam habuerunt: Itaque ex omnium sententia die decima quarta Martii Ferdinandum in Cæsarem inaugurari curarunt. Erigebatur ergo in medio fori majoris tentorium, ad quod per gradus ascendebatur, eratque illud stragulis, ac tapetibus aureis, & holosericis instructum, quo Ferdinandus die condita imperialibus ornamentis amictus comparuit, folioque præparato consedit. Postea omnes S.R.I. Electores, cum magna equitum turba stipati, & prælatis de more vexillis ter circum Imperatoriam sellam equitassent, inter magnos tubicinum clangores interea concinentes, una omnes equis defiliunt, ordineque suo sedentem Cæsarem adeunt, & in genua provoluti jurejurando fidem, obsequiumque addicunt.

§. XXIX.

Legatus a Ferdinando in Cæsarem electo ad Papam decretus.

D 5

Per-

Sæc. XVI.
A.C 1558.

Sæcul. XVI.
A. C. 1558.

Thuan. l. c.

Peractis omnibus hisce solemnibus recens electus Cæsar ad Carolum V. fratrem suum perscripsit, gratiisque actis Philippum sibi, & Imperii Ordinibus percarum fore, ac eum commendatum æque, ut proprios filios, habiturum pollicetur. Mox etiam ad Cameræ Spirensis iudices dedit literas, & quid actum sit, denuntiavit, atque, ut in iudiciali munere vice, & auctoritate sua fungantur, mandavit, potestate facta, ut Caroli V. sigillo, quod habebant, utantur, donec novum transmittatur. Conventu postea dimisso Cæsar secundo Danubio Viennam venit, ubi maxima suorum Ordinum gratulatione, ac jubilo exceptus est.

Eo tempore Ferdinandus quinquagesimum quintum ætatis suæ annum agebat: Ut vero erga Sedem Romanam officio consueto filialem observantiam suam testaretur, Martinum Gusmanum supremum Camerarium ad Pontificem Romam mittit, qui eundem de Caroli V. fratris abdicatione, & sua in Cæsarem inauguratione plenius edoceret, ipsumque jam Romanorum Regem creatum esse significaret, simulque Papam certiore faceret, novum Cæsarem erga Pontificem, & Sacram Sedem eo animo affectum, quo ipsius Majores Ecclesiæ Romanæ, & omnium aliarum præcipui

pui patroni, tutores, ac defensores durissimis etiam temporibus extitissent. His Legatus addere jubebatur, non prætermisurum Cæsarem, ut primo quoque tempore pro veteri, ac recepto more de coronatione sua honorificam legationem ad Pontificem, ac Sanctam Sedem adornaturus esset.

§. XXX.

Papa Cæsaris Legatum excipere tergiversatus.

Quamvis summus Pontifex hanc novi Cæsaris observantiam, necnon filialis obsequii testificationem summopere gratam habere crederetur, ille tamen ob recentes cum Austriaca Domo similitates nondum postremis concordiae pactis plene compositas Cæsaris legatum adeo non benigne excepit, ut etiam illum ad alloquium admittere renueret: contendebat enim Pontifex, quod Imperii abdicatio in Ferdinandi favorem facta haud subsisteret, cum inscia, ac prius haud consultata Sede Apostolica fuisset firmata, ac proin Imperium non nisi a die, qua Carolus V. obiisset, vacare censeretur; quamvis enim Ferdinandus in Romanorum Regem fuisset electus, ejusque electio a Clemente VII. confirmata, suo tamen fratri nonnisi eodem fati functo succedere potuisse in-

quie-

Sæcul. XVI.
A. C. 1558.

Thuan. l. c.
Spond. n. 3.
Pallav. l. 14.
c. 6. n. 5.